



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

Opvs De Iudiciis Divinis, Qvae Devs In Hoc Mvndo Exercet

Accessit index concionatorius in omnes totius anni dies Dominicos &
Festos, ab ipso Auctore confectus

Stengel, Georg

Ingolstadii, 1651

3. Exempla diuinæ erga pauperes curæ.

urn:nbn:de:hbz:466:1-45699

Pfal. 67. 11.
Pfal. 68. 33.

perum. Nonò nec meritis pauperum præmium deerit: *Parasti in dulcedine tua pauperi Deus*, ait Psalmista; & rursus: *videant pauperes, & latentur*. Hæc est vera lætitia pauperum; diuitibus autem tristissima quæque diuina pagina comminatur. Igitur quos maxime curat Mundus, minimè curat Deus; & quos despicit Mundus, protegit Deus; & quamuis vtrisque prospiciat sufficienter, pauperibus tamen prospicit etiam abundanter.

III.

Luc. 2. 35.

Ne autem in verbis duntaxat curam, quæ pauperibus est promissa, consistere arbitremur, notum est è sacris libris, non rarò idem esse *verbum*, quod *factum*. *Transeamus vsq; Bethlehem*, aiunt pastores, & *videamus hoc verbum, quod factum est, quod Dominus ostendit nobis*. Certè, quod dicit Deus, facit; & quod promittit, præstat. Itaque primò perspicacissimus ille oculus Mundi, qui

Pfal. 10. 5.

omnia videt, vtiq; etiam videt pauperes; neque eos spernit, aut indignatur vel in summa maiestatis sede constitutus. *Dominus in templo sancto suo; Dominus in celo sedes eius: oculi eius in pauperem respiciunt*.

Isa. 66. 2.

Marc. 12. 41.

Ad quem respiciam, ait, *nisi ad pauperulum?* Quod se facere Christus ostendit, quando *sedens contra gazophylacium aspiciabat, quomodo turba iactaret as in gazophylacium, & multi diuites iactabant multa*. Cum venisset autem vidua una pauper, misit duo minuta, quod est quadrans, & conuocans discipulos suos ait illis: *Amen dico vobis, quoniam vidua hæc pauper plus omnibus misit, qui miserunt in gazophylacium*. Omnes enim ex eo, quod abundabat illis, miserunt; hæc verò de penuria sua omnia quæ habuit misit totum victum suum.

Nonnè fuit hoc respicere pauperem? Bono animo estote, pauperes, si nemo vos hominum videt, & nemo miratur, aut laudat, quod sanctè facitis, aut cum in occulto oratis: Deum habetis & testem, & spectatorem. Hic vnus est instar mille, immò supra mille. Res magna est, à Deo videri. Secundò non videt tantum.

Leuit. 19. 9.

Deus pauperum inopiam, sed etiam re ipsa opitulatur, idque alios facere iubet: *Cum messueris segetes terræ tuæ, non tondebis vsq; ad solum superficiem terræ: nec remanentes spicas colliges. Neq; in vinea tua racemos, & grana decidentia congregabis, sed pauperibus & peregrinis*

Ibid. c. 23. 22.

Ruth. 2. 8.

carpenda dimittes. Idem repetit infra. Exemplum quàm illustre exhibuit in Moabitide Ruth, quam pauperem, sed honestissimi nominis puellam & aluit, per diuitem virum Booz, & deniq; citam

ara opulentavit. In nouo autem testamento, ut pateceret, etiam in spiritualibus peculiarem eorum haberi rationem, *pauperes Emangelizantur*, ait Seruator, ne superba opulentia putet, Redemptorem tantum diuitum ac magnatum causam venisse. Tertio; res ipsa mouet misericordem patrem. Si enim vel terrenus pater e duobus filiis vnum in bene instructa naui ludente videat, alterum inter vndas ac vortices ludentem, cui citius succurret? Ita Deus utique citius opem afferet ope indigenti, cuius ipsa miseria mouet misericordem. Si enim Iob aiebat: *Flebam quondam super eo, qui afflittus erat, & compatiebatur anima mea pauperi*; quanto magis putandum est, fleat & affici eum misericordia, qui afflictionem atque inopiam longè habet cognitioem? & cuius misericordia est, *super omnia opera eius, quæ tamen sunt magna, & mirabilia nimis*? Quocirca eam olim legem tulit: *Si vnus de fratribus tuis, qui morantur intra portas ciuitatis tuæ, in terra, quam Dominus Deus tuus daturus est tibi, ad paupertatem venerit: non obdurabis cor tuum, nec contrahas manum, sed aperies eam pauperi, & dabis mutuum, quo eum indigere perspexeris.*

Iob. 30. 25.

Deuter. 15. 7.

Quarto etiam subinde differt Deus quosdam, ut incommoda sentiant paupertatis, & quasi eorum obliuisci videtur, tamen non in finem est obliuio pauperis. Hac spe consolans filium suum Tobias ait: *Noli timere, fili mi, ait, pauperem quidem vitam gerimus, sed multa bona habebimus, si timuerimus Deum, & recesserimus ab omni peccato, & fecerimus bene.* Ut prædixit, ita euenit, vel Raphaële Archangelo cælitus misso, qui eum ad fortunas suas perduceret. Quin Christus quoque turbam triduo toto distulit, donec eam prodigiosè pasceret. Cum turba multa esset, nec haberent, quod manducarent, conuocatis discipulis, ait illis: *Misereor super turbam: quia ecce iam triduo sustinent me, nec habent, quod manducent: si dimisero eos ieiunos in domum suam, deficient in via: quidam enim ex eis de longè venerunt.* Distulit, ut fames & fama cresceret, miraculumque tantò maius esset, quanto illi magis esurirent. Quinto voluit eosdem ita curare atque satiare Dominus, ut etiam patientiam eorum probaret. Ob quam causam multos diu, plurimos etiam vsque ad vitæ finem relinquit in egestate. Tunc enim dicit: *Ecce excoxi te, sed non quasi argentum, elegi te in camino paupertatis.*

IV.

Psal. 9. 19.

Tob. 4. 23.

Marc. 8. 1.

Isa. 48. 10.

pertatis.